

No. 113. 1232. 1. Aug.

*K. Wladislaw von Böhmen eignet dem Stift die vom Burggrafen Otto von Dohna demselben geschenkte Hälfte des zu Böhmen gehörenden Dorfes Wolframesdorf mit allen Rechten.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Wadizlaus dei gratia Bohemorum rex omnibus in perpetuum. Cum adeo non sit hominum malitiis indulgendum, ut quodlibet rite factum et rationabiliter approbatum ad iniquum compendium trahi possit, nos provida deliberatione propter devotionis constantiam Heinrici quondam burcravii de Donin bonae memoriae nec non et filii eius Ottonis fidelis nostri, quam circa dilectum patrem nostrum clarae memoriae et etiam circa nos efficaciter sumus experti, ex eo quidem, quod in voluntatis nostrae beneplacitis ultra id, quam ferre possent paratos ac fideles reperimus, merito nos invitat, ut suis et suorum ubicunque possumus profectibus ac desideriis intendamus. Proinde tam praesentibus quam futuris per praesens scriptum universis duximus exprimendum, hoc de nostra voluntate ac licentia contigisse, quod dictus Otto burcravius de Donin fidelis noster medietatem villae Volueramesdorf<sup>a)</sup>, quam proprietatis titulo possidebat, licet in fundo regni nostri consistat eadem et existat, cum omni utilitate ac iure, quo ipsam tenuit, Misnensi ecclesiae et domino Heinrico eiusdem ecclesiae episcopo contulit et donavit cum omni prorsus plenitudine iuris sui, quae nunc inest vel inesse poterit in futurum, videlicet iudicio, areis, agris, aquis, pratis ac possessionibus universis, quae inpraesentiarum possidet iustis modis. Ut igitur ipsa donatio, quae per nos facta est, secundum formam praescriptam robur semper obtineat et validum firmamentum, et a nullo heredum nostrorum retractari valeat ullo modo, ideo plane recognoscimus ipsam sine fraude factam esse, et hoc per praesentem paginam fideliter ac publice protestamur. Si quis vero dictum episcopum vel ecclesiam eius Misnensem in villa praedicta Volueramesdorf turbaverit, aut dampnum ingesserit vel pavorem incusserit aut gravamen intulerit ullo modo, indignationem regiae maiestatis et triginta marcarum auri debitum se noverit incurrisse. Ut autem ipsa donatio futuris temporibus observetur, praesens scriptum conscribi praecepimus et sigilli nostri munimine roborari. Huius rei testes sunt Arnoldus de Wischerat praepositus, Ypolitus domini regis cancellarius; laici Bogezaus filius Zlawekonis, Chastelaw et Heinricus frater eius praefectus Budesinensis, Jarezlawe filius Marquardi, Benesse filius Benesse, Grozenete de Podebrat, Gevehardus et Luderus frater eius de Rodeswiz, Volueramus de Gerardesdorf et alii quam plures. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXXII<sup>o</sup>. indictione V<sup>a</sup>, regnante Wadizlao Bohemorum rege gloriosissimo anno regni eius quarto. Datum Pragae Kal. Aug. feliciter amen.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; an rothen, blauen und gelben seidenen Fäden hängt noch ein kleines Bruchstück des Siegels.

a) Langenwolmsdorf bei Stolpen.